

## PROLEGOMENA.

ergo hoc superfluum studium & Republica, apage inanes, futiles, putidas deniq; istas occupationes, & viro graui ac in serijs versante penitus indignas. Amabo vos, viri optimi, furere tandem desinite. Quid si præstantissimas quasuis Respublicas à Poëtis institutas, informatas, exornatas, ad florentem deniq; statum perductas docuero? Et rem quidem alijs, hoc est, ab ipsius Poëtices origine, quam paulò post attingemus, impræsentiarù ne æpetamus, quis rogo septem gemina porta celebres Thebas Bœotias condidit? Philostratus in imaginibus respondebit Amphionem condidisse. Fuit autem Amphion ille cui hieroglyphici nostri lyrâ ab Apolline Dioscorides, ni fallor, Grammaticus, à Musis Antimenidas, & Pherecydes Syrius, à Mercurio traditam Myron Byzantius scripserunt. Lyrâ autem symbolum esse diuinæ illius Poëtices vel lapides ipsos credituros, nedum eos qui horum mysteriõrum vel leui cognitione tincti sunt, omnino mihi persuadeo. Et rectè. Siquidè hic noster Amphion memoratur lyrâ cantui maritalle (cùm primus Thamyras sine voce cecinerit) quod nihil est aliud quàm si dixeris eum diuina sua Poëmata illo instrumẽto Musico modulatum esse. Qua ratione animos hominum illius sæculi duriores & asperiores emoluit ac perpoliuit: quod vt mysticè postmodù scriberetur, traditù est eum cãtu suo saxa & lapides traxisse. Quod Vitruuius de affatus (ita enim loquitur) suauitate, qua homines rupium incolas, & incultis moribus rudes, ad obsequij ciuilis pellegerit disciplinã, interpretabatur, cui ferè subscribunt locupletissimi testes Palæphatus, Macrobius, Horatius. Neq; hîc vllus cauilletur Musicũ fuisse hunc Amphionẽ, quod Plinius Musicos eum inuentorem & modorũ Lydiorum faciat, Iulianus verò apud Suidam antiquæ Musicæ (quanquã istam inuentionẽ Olympio cui dam Mysio Clemes & Eusebius tribuant) nequis, inquã, sic cauilletur: siquidè, vt præmonui, nõquã fuit vt Poëtice à Musica disungeretur, quas & ortu, & familiari, vt ita dicã, conuictu germanas appellare possis. Vnde nõ omnino imperitè Grammaticorũ scholæ carminis originationem à cantu deriuarunt. Fuit ergo Poëta, fuit Musicus præstantissimus Amphion, & hunc Poëtam, hunc Musicum vrbs illa nobilissima conditorẽ venditat: hoc Poëta, hoc musico tam amabilis societatis & conjunctionis authore gloriatur: hoc Poëta, hoc Musico sui moderatore superbit: huic poëtæ, huic Musico principem tantæ felicitatis, quæ ex illo hominũ mutuo conuictu emergit, causam summa & immortalis cũ gratulatione acceptã refert, & hætenus perpetuis scriptorum monumentis prædicare nõ desistit. At, dicetis, tu nos, elencho manifestissimo, ijs oppugnas principijs, in quorũ veritatem nõ conspirabamus. Etenim fabulas nobis obtrudis, cùm dicis, hunc Amphionem ab Apolline, vel à Musis, vel à Mercurio lyrâ accepisse. Quis non videt hæc esse nefanda Poëtarum vestrorũ comenta & qualia pijs nostris auribus infusurrari non debeant. Manete. Illuc ibam. Satis hanc narrationis asperitatem emolliebam, cùm eius authores hieroglyphicos appellaui. Qua voce nihil aliud intelligo, quàm eos occultè Numinis notitiam sub nominũ pluralitate expressisse. Quod longè clariùs demonstrare possum quàm à Macrobio variorũ Deorũ appellationes ad vnicũ Solem referri demonstratũ sit. Nõ assero tamè, id veteres illos Ethnicos perspicuè intellexisse, sed neq; etiam nego in illa mysteria ex Ægyptiacis peregrinationibus quosdã lyncis oculis penetrasse: quanquam neq; illi quidem verum scopum planè sint assequuti. Id verò cõstanter affirmo, vt à vero Dei cultu, qui primus fuit, adulterinus deductus est, ita in hoc illius quædã remansisse vestigia, vt saltem Numinis cognitionẽ animis inscriptam Ethnici habuerint, & licet obscuram, aliquam tamè, & qua teste perituros eos constat. Huius cognitionis beneficio, scientias, artes, & cætera dona animi, corporis, & quæ fortunæ appellabant, Numinis munificẽtia in mortales deriuari intellexerunt. Quod cùm nos identidè in Homero obseruauerimus, tum ex hoc loco de Amphione euinci potest. Vbi illud insuper accuratè notandũ, Veteres illos adeo in ista veritate Numinis exquirenda cæcutiuisse, vt singulis rebus humanis suũ ferè Numen affingerent, vt & in partibus corporis nostri aliã à nobis obseruatũ est. Sic varios Numinis effectus, variasq; actiones pro Numinibus censuerunt. Attendite mysterium, viri optimi, quod in vestri gratiã repeto. Cùm misera illa antiquitas istã Orbis vniuersitatem sine Numinis moderatione non constare animo peruideret, illã tamen veram illius *voicẽ* verè complecti non posset, vtpote cuius notitia intra Iudaicos parietes occultaretur, corruptæ naturæ impetu factũ est, vt cùm intelligeret, Numẽ illud ubiq; diffundi oportere, at generalem istã diffusionem de vnicò imaginari nõ posset. (quanquã in nostro Poëtarum Principe nescio quid tale de loue illo, cui vel ab ipso rerũ omnium gubernacula tribuuntur, pluribus locis annotauimus) factũ, inquã, est, vt rebus omnibus suos Deos accomodaret. Itaq; singulæ artes, singulæ scientiæ suos authores & doctores Deos in profanis istis voluminib; ostẽtant, & prædicat. Sed & ex illa gente prodire possunt Poëtæ quã plurimi, qui vel nostros Christianos, vbi tanta Atheorum hominum multitudo disseminatur, non solum illud Numen, sed etiam vnicum illud Numen docere possint. Quid strepitis? quid me importunis vestris reclamationibus perturbatis? quid inceptum orationis meæ cursum interrumpitis? Nihil absurdi, nihil quo vestræ aures offendi debuerint, nihil contra pietatem, cuius prætextu vos me, ni fallor, expugnare conamini, protuli. Legite Eusebium, euoluite Clementem Alexandrinum, perlustrate Iustinum Martyrem, Basilium, Cyrillum, & alios sacros scriptores, quorum autoritate si illius meæ sententiæ veritatem non comprobauero, causam nõ dico, quin pro vano à vobis existimer. Sed nos nimium extra argumẽti nostri cancellos excurrimus. Ergo, vt eò redeat vnde tantillum digressa est nostra oratio, nihil est quod istã lyræ dationẽ Amphioni factã idcirco repudietis, quod Dijs illis ficticijs assignetur. Vestrũ est potiùs cæcitatẽ illius sæculi misereri, intereã verò etiam tantam lucẽ in tantis tenebris admirari, quod peritiam illã Poëtices & Musicos nõ aliunde, quàm à Numine profluere veteres agnouerint. Vt sit, cõstat hunc Amphionẽ nostrum & Poëtam & Musicum Thebarum conditorẽ existere. Quod cùm nudè à scriptoribus efferatur, penitiùs tamen negocium illud nobis insipientibus colligere licet eum huic nouæ genti summa cum autoritate præfuisse, sancitisq; legibus recentem istã societatem exornasse, ac cõfirmasse. Et hoc etiam ipsa docet historia, quæ cũ à Cadmo (quem, ni fallor, Ogygen appellat doctissimus ille Varro) vrbs illius prima iacta fundamenta dicat, ab hoc Amphione splendidius ac magnificentius instauratam esse prodit. Iterum aures arrigite, & cùm vos Poëticæ insultare nõ defatigemini, nos quoq; in ea tuenda non defatigari lubenter patimini. Attendite igitur. Hermes ille Trismegistus nunquã Poëta extitit? Quis negauerit? Suidas id nimirũ testabitur, qui illius versus de voce & verbo Dei laudat. Sed & Zenobius Acriaiolus Poëma de terræ motibus, quod Orpheo tribui solet, isti Trismegisto vindicat. At hunc Poëtam Trismegistum Regẽ Ægypti fuisse notiùs est quàm vt pluribus demonstrari debeat. Ergo studium Poëticæ nõ omnino à rerum publicarum administratione alienum esse iudicandum est. Imò olim illarum peritia penes huiusmodi homines fuit, qui ex hoc studio, quod in rebus diuinis maximè versabatur, quid rectum, quid honestum, quid vtile esset, optimè iudicare poterant. Neq; enim huius scientiæ dignitas ex hodiernis Poëtis nobis est ponderanda. Quotus enim quisq; nostro seculo hoc nomine dignus vobis videbitur? Sed nos huius appellationis rationẽ postmodum explicabimus, vt intelligatis, aliud esse verficatorem, aliud Poëtam: quem cùm dicis, omnem hominem, vt aiunt, dicis cui in re literaria, imò in rebus humanis, quantum mortali scire licet, nihil est abditum, nihil incognitũ.

Fuit